



Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 156. Quid de resignatione sub conditione, ut refundantur expensæ litis
vel Bullarum aut quæcumque aliæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

latio facta Titio sit nulla , v. g. quia erat inhabilis , tamen valet impositio pensionis , quam præstare debet Cajo , quisquis habebit beneficium , quia erant duæ gratiæ separabiles , *Gonz. Leur.* q. 508. contra *Garc.*

Q. 156. Quid dicendum de resignatione , sub 1059 conditione , ut refundantur expensæ litis vel bullarum aut quæcumque alia. R.

§. I. Simoniacum est , si resignes sub conditio-
ne seu pacto , ut tibi refundantur expensæ factæ
pro beneficio obtinendo , v. g. in lite , solvendis sta-
tutis &c. *Paris. Suar. Az. Less. Castrop Pirh. Leur.*
p. 3. q. 738. *Si dicas* , te eas repeterem , non pro bene-
ficio , sed pro indemnitate tua , aut saltem pro com-
modo , quod resignarius habet ex tuis expensis:
contra est , nam tam parum potes pacisci pro in-
demnitate , quām pro sustentatione tua habenda ,
maximè cū expensas feceris propter te , ut benefi-
cium tibi utile assereres; commodum autem quod
resignarius habet , fundatur & immediatè sequitur
ex beneficio à se resignato , & non ex tuis expensis ,
sicuti si mihi donares agrum , commodum , quod
inde habeo , est ex agro & non ex pretio , quo tibi
comparasti agrum.

§. II. Resignatio in favorem , cum pacto , ut re-
signarius solvat omnes expensas pro bullis , est si-
moniaca , sed singuli tenentur solvere pro bullis
suis , & quamvis in resignatione pura resignarius
soleat totas expensas solvere , tamen non debet du-
ci in pactum. Putant quidem *Paris. Az. Castrop. T.*
17. d. 3. p. 16. n. 5. in resignatione sub pensione posse
resignarium se obligate ad solvendas totas , eā con-
ditione , ut in primo termino easdem sibi compen-
set , sed *Garc.* merito dicit esse simoniaicum , si de
hoc antecedenter pacti sint. Vide *Leur.* q. 739.

L1

Quod

Quod si ex conventione falsò exprimant majorem valorem, ut sic moveant Papam ad concedendam pensionem, *Nav. Paris. Garc. Leur.* q. 740. dicunt non esse simoniam, quia non sunt pacti circa beneficium vel aliquid cum beneficio connexum, sed tantum circa falsam narrationem ad obtineandum consensum, per hoc tamen peccarunt, & impositio pensionis est nulla.

1061

§. III. Si resignes sub pacto, ut resignatarius refundat expensas factas pro beneficio, v. g. pro reparanda Ecclesia, meliorandis fundis, redemptione vexæ ab hæretico intentata, *Az.* & *Pirh.* dicunt non esse simoniam, quia tantum repetit, quod suum est, & veluti adhuc inest beneficio; consentiunt *Felin.* & *Paris.*, si expensas fecerit ex bonis patrimonialibus, nam etiam successor in beneficio tenetur eas expensas refundere hæredibus defuncti: si autem fecit eas ex bonis Ecclesiasticis, quod præsumitur, nisi probetur contrarium, dicunt resignationem sub tali pacto esse simoniacam, quod dicit *Gamb.*, quamvis fecerit ex patrimonialibus, quia illa conditio refundendi non inest de jure, ergo non potest deduci in pactum; Et hæc sententia tenenda est, si eas expensas fecerit in commodum suum, ac ideo è beneficio retulerit fructus expensis suis respondentes. Vide *Leur.* q. 741.

1062

Q. 157. Quid præterea notandum sit circa resignationem simoniacam aliasque conditionales. R. Recolenda sunt dicta L. 3. p. 1. à n. 57. 69. 79., ubi explicavimus, quid sit simonia & quomodo committatur in materiis beneficialibus. His adde seqq.

§. I. Resignatio simoniaca est nulla, Cap. Cum pridem, & cap. ult. de pactis: Quod verum est, licet firmetur juramento, *Staph. Paris.* Tamen sic resignans non amittit jus in beneficio, quamvis privari possit,